

dat ab objecto, sed sufficit quod repræsentative, et quasi exemplariter ipsum respiciat, sicut etiam imago quam facit pictor effective procedit a pictore, et tamen repræsentat Cæsarem, a quo effective non procedit, nisi mediante idea pictoris, et hoc sufficit ut dicatur illa pictura vicaria et repræsentativa Cæsaris. Similiter ergo se habebit species impressa respectu objecti, licet effective non procedat ab illo, sed ab infundente quasi a pictore per suam ideam faciente illam, ut repræsentet objectum.

XII. Dicendum est secundo: D. Thomam tum in isto loco q. XII, art. I, tum in aliis locis, ubi hanc tractat difficultatem, an detur similitudo creata ex parte objecti ad videndum Deum in se non solum negare similitudinem, quæ se habet ut medium prius cognitum, in quo Deus videatur, sed principaliter negare speciem intentionalem, seu medium quo videatur, imo de hoc solum est difficultas, quam tractat. Hæc est contra Vazquez hic dist. XXXVII, et Alarcon citatum qui ipsum sequitur. Sed communiter oppositum auctores intelligunt, ut videri potest non solum apud Thomistas sed etiam apud alios auctores, ut Molina hic super art. II, disp. I; Arrubal, hic disp. XVI, cap. I; Granados et alios, qui intelligunt D. Thomam loqui de specie, non de medio cognita. Et in primis id constat manifeste, quia in præsentia agitur de visione Dei in se immediate, quæ est visio beatificans, ergo apud nullum sanæ mentis poterat verti in difficultatem, an Deus videatur per similitudinem creatam tamquam per medium, et rem cognitam, quia hoc esset videre Deum in aliquo effectu, et mediante aliqua re creata non immediate in se ipso, et perinde esset quærere an Deus immediate in se videatur per aliquod medium prius cognitum,

quod est videre per aliquem effectum non in se, sicut si inquiremus utrum homo, quando in se immediate videtur, videatur per speculum et medium prius cognitum. Difficultas ergo de hoc non poterat esse, cum supponatur in ipsa quæstione, quod Deus videtur immediate in se, et non per creaturas, seu effectus prius cognitos, et inquiritur an per medium quod sit species, non quod tollat immediatam visionem rei in se?

XIII. Constat secundo, quia D. Thomas eandem quæstionem tractavit aliis locis ut in IV, dist. XLIX, q. II, art. I ad XIII et quodlib. VII, art. I, ubi sicut supra retulimus distinguit triplex medium scilicet: « Sub quo ex parte potentiae, medium quo, quod est species intelligibilis, sicut lapis est in oculo per speciem (constat autem speciem lapidis in oculo non esse medium prius cognitum) et denique medium in quo, sicut speculum, in quo aliquid cognoscitur tamquam in re prius cognita, » Et negat Div. Thomas in visione beatifica dari secundum, et tertium medium, et solum inveniri primum, quod est ipsum lumen quod dicitur similitudo ex parte potentiae, quia se habet ut virtus proportionata, et determinata ad illam visionem, ut docet III contra gent. c. LIV et in art. II; ergo expresse negat D. Thomas speciem intelligibilem, et non solum medium in quo, seu prius cognitum, ergo cum eadem difficultatem tractet in præsentia, similiter negat speciem intelligibilem, sicut in illis locis. Quod autem in illis locis, in quibus distinguit D. Thomas istud triplex medium, neget medium, seu similitudinem, quæ est species distinguenso illam a medio cognito, constat manifeste legenti illum in IV, dist. XL citata, et quodlib. VII citata. Item quæst. VIII de verit. arti I

loquitur de similitudine, quæ habet convenientiam cum re secundum repræsentationem, sicut species in anima, inquit, conveit cum re, quem est extra animam non secundum esse naturale, et talem similitudinem negat intervenire in visione Dei. Et eandem negat in III contra gent. c. XLIX et magis explicat c. LI. Et quod magis urget est, quia D. Thomas explicat quomodo ipsa divina essentia loco speciei actuet intellectum beati ad sui visionem, ut patet III contra gent. c. LI. Unde in IV ad Annibaldum, dist. XLIX, art. I, inquit: « Quod per quamcumque speciem, vel effectum Deum præsentialiter intellectus habere non potest. Oportet ergo, quod ipsa essentia quæ cognoscitur, sit etiam species qua cognoscitur. » Ubi manifeste distinguit D. Thomas speciem et effectum quo, ut medio cognito Deus cognosceretur, et utrumque negat repræsentare Deum in se magis quam umbra corpus. Si ergo solum intenderet negare similitudinem creatam, quem est objectum prius cognitum, non autem speciem intelligibilem creatam, quæ est medium cognoscendi ut quo, ad quid deberet explicare, quod ipsa essentia divina habet rationem speciei, seu formæ intelligibilis, et quomodo? Item in præsentia articulo secundo in introductione corporis articuli distinguit: « Duo requiri ad visionem, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu, sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. » Sed ex istis duobus quæ requiruntur ad visionem, hoc secundum quod facit unionem rei visæ est species intentionalis, non autem medium prius cognitum. Sed de hoc ipso subdit in progressu corporis articuli, quod ex parte rei visæ, quam necesse est aliquomodo uniri videnti, per nullam

similitudinem creatam Dei essentia videri potest, ergo eandem similitudinem negat intervenire in unione divinæ essentiae, quam in initio corporis articuli supposuerat, alioquin ad nihil valeret illa suppositio, neque connecteretur cum eo, quod infert negando similitudinem divinæ essentiae.

XIV. In locis istis D. Thomæ ita expressis hæsit Vazquez, cumque videre e diametro sibi opponi, dixit duo disputatione illa XXXVII, c. II. Primum est, quod D. Thomas in illo loco ex IV sententia tenuit sententiam oppositam ipsi Vazquez, sed tamen ex aliis locis colligit propriam mentem ejus, et sensum. Secundum est, quod quando D. Thomas dixit non dari medium, quo in visione essentiae divinæ loquitur de specie expressa, seu verbo, quod etiam dici potest medium quo, quia est medium extrinsecum ducens ad objectum extrinsecum. Illud autem tertium medium quod est medium in quo, solum est medium prius cognitum. Addi potest tertium quod loquitur D. Thomas non de possibili, sed de facto et ita dixit p. Alarcon ubi supra disp. III, c. II, num. V non esse assignabilem locum D. Thomæ saltem in summa, ubi clare dicat impossibilem esse hanc speciem.

XV. Cæterum prima, et tertia explicatio evidenter sunt nullæ. Tertia quidem, nam in quarto sententiæ citato expresse loquitur D. Thomas de possibili in corpore articuli, cum negat talem similitudinem Dei, dicit enim: « Quod adhuc est magis deficiens similitudo, quando ad eandem rationem generis non pertingit, sed solum secundum analogiam, sicut est similitudo albedinis ad hominem: et hoc modo est deficiens omnis similitudo, quæ est in creatura recepta respectu divinæ essentiae. » Sed quæcumque species seu simili-

tudo etiam de possibili est similitudo recepta in aliqua creatura, ergo etiam de possibili sentit D. Thomas quod est deficiens. Et in quodlibeto septimo citato etiam clare dicit esse impossibile dari in intellectu creato talem similitudinem, quæ sit medium quo respectu essentiæ divinæ, et in præsentis articulo secundo sæpe repetit, quod non potest dari similitudo ex parte objecti, per quam ut ostendimus D. Thomas intelligit speciem intelligibilem. Et præterea rationes D. Thomæ in hoc articulo supposito, quod loquitur de specie intelligibili, vel probant de potentia absoluta Dei, vel nihil probant, siquidem procedunt secundum ea, quæ intrinseca, et essentialia sunt tali representationi propter repugnantiam, et improportionem ipsius speciei creatæ cum tali objecto, quod est Deus, ut amplius expendimus articulo tertio. Et quod attinet ad primam explicationem manifeste evacuatur, quia D. Thomas sententiam quam tenuit in quarto sententiarum et in quodlibeto septimo non retractavit in præsentis, neque aliquod verbum est in toto articulo illi resolutioni oppositum. Et manifeste urgetur sic, quia vel D. Thomas in præsentis articulo loquitur de specie impressa, quando negat similitudinem dari posse ex parte rei visæ, vel non loquitur de specie, sed solum de medio prius cognito, in quo negat cognosci Deum in se. Si primum, ergo manifeste in præsentis tenet sententiam oppositam ipsi Vazquez si quidem negat medium, quod sit species, et non solum medium, quod sit prius cognitum. Si secundum, ergo cum in aliis locis neget dari speciem impressam in visione beata, ut etiam fatetur Vazquez si in hoc loco non agit de specie impressa, sed solum de medio prius cognito et illud solum negat, ergo non retractat id

quod aliis locis negaverat circa speciem impressam, quia non de ea agit in præsentis. Non autem admittit hic similitudinem, quæ est species, sed eam, quæ tenet se ex parte potentiæ, quod in fine corporis articuli D. Thomæ explicat esse lumen gloriæ, quod etiam admittit in quarto sententiarum et in quodlibeto citato, ergo quod ibi dixit hic non retractat.

XVI. Secunda vero explicatio Vazquez est omnino impertinens, nam constat apud omnes speciem impressam esse medium quo, quia non se habet tamquam medium prius cognitum, et in quo, si quidem species non prius cognoscitur, ut mediante ea cognoscatur objectum, neque est medium sub quo, quia non est lumen per modum virtutis se tenens ex parte potentiæ, sed solum se habet per modum representationis, ergo non solum potest includi in illo secundo medio quod est medium cognoscendi ut quo, sed D. Thomas universaliter negat tale medium quo in visione beatifica, ut vidimus, ergo negat speciem impressam. Et præterea quia in præsentis articulo loquitur de similitudine ex parte rei visæ, quæ ponitur in potentia ad eliciendam visionem: « Sicut similitudo lapidis, inquit, est in oculo, » sed similitudo, quæ est in oculo ad videndum non est species expressa, sed impressa, si quidem apud D. Thomam in visu externo non formatur idolum, neque species expressa ad videndum, ut docet in iv contra gent. cap. xi, et aliis locis, ut ostendimus in libr. de anima, qu. viii, ergo loquitur D. Thomas de specie impressa, et non expressa. Tum etiam quia loquitur D. Thomas de similitudine, quæ procedit ab objecto in potentiam visivam, dicit enim in præsentis articulo: « Quod si una, et eadem res esset principium virtutis visivæ, et esset

res visa, oporteret videntem ab illa re, et virtutem visivam habere, et formam, per quam videret, » ergo loquitur de forma, seu specie, quæ a re visa habetur, seu derivatur ad videntem: hoc autem non est species expressa, sed impressa, quia expressa producitur per ipsam visionem, non ab ipso objecto derivatur in potentiam. Omitto, quod multo plus est negare possibilitatem speciei expressæ respectu visionis divinæ, quam impressæ, nam multi ex auctoribus, qui negant dari speciem impressam ad visionem divinam, non audent negare speciem expressam, quæ ab ipsa visione finito modo intelligente formetur, ergo si Vazquez sentit D. Thomam negasse speciem expressam, a fortiori debet concedere negasse impressam, quæ minus habet unde limitetur in representando, quam species expressa. Denique, D. Thomas in præsentis articulo universaliter negat similitudinem ex parte objecti, et solum concedit similitudinem ex parte potentiæ. Quam similitudinem declarat in fine corporis articuli esse lumen gloriæ, ergo cum species representativa impressa teneat se ex parte objecti, et non sit ipsum lumen gloriæ secundum D. Thomam, quia hoc se habet ut virtus disponens intellectum ad recipiendam essentiam divinam per modum speciei, ut expresse dicit in præsentis articulo v et iii contra gent. c. liii, ergo manifeste negat similitudinem, quæ sit species impressa, si solum concedit eam, quæ est lumen gloriæ, et lumen gloriæ apud ipsum D. Thomam non potest esse species impressa, sed dispositio ad illam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Difficultates quæ contra naturam speciei, et representationem

ejus se offerunt late expendimus, et solvimus in libr. de anima, q. v, art. iii. Solum in præsentis se offerre potest id quod objicit p. Alarcon supra citatus ad probandum, quod species non est vicaria objecti, neque ex parte ejus se tenet, sed ex parte potentiæ tamquam determinatio quædam representativa, aut determinativa indifferentiæ virtutis ejus erga objectum, eo quod species per se non habet procedere ab objecto, sed hoc est illi per accidens, ut patet in speciebus angelicis, et in speciebus infusis animæ Christi, quæ nullo modo procedunt ab objectis, sed a Deo infunduntur, ergo ratio speciei non consistit in eo, quod sit vices gerens objecti, sed in eo quod sit determinativa potentiæ a quocumque agente, seu principio talis species procedat. Hæc consequentia patet, quia ut aliquid gerat vices alterius, et loco illius subrogetur, oportet quod ab eo procedat, vel sit aliquid illius, sicut semen, quod deciditur a vivente, subrogatur loco illius, quia procedit ab ipso, ergo si non requiritur, quod species procedat ab objecto, a quacumque re poterit suppleri iste defectus speciei ponendo determinationem in potentia etiam sine objecto, vel specie ab illo procedente.

XVIII. Ad hoc jam respondimus supra, non ideo species dici vicarias objectorum, quia procedant ab illis effective, sed a quocumque procedant nihil interest, dummodo in se representandi vim habeant, et essentialiter ad hoc ordinentur, ut representent aliquid, et ipsum intentionali modo jungant potentiæ, sicut posuimus exemplum de pictura, quæ effective procedit a pictore, representat vero non pictorem, sed Cæsarem, eo quod procedit a pictore mediante idea, et conceptu Cæsaris. Similiter species infunduntur Angelis, vel Christo

procedendo effective a Deo, sed non repræsentant Deum, sed creaturas, et procedunt a Deo, ut concipiente illas creaturas ad producendum non solum in sua entitate, sed etiam in mentibus Angelorum ut ex Augustino II super Genes. ad litteram docet D. Thomam infra quæst. LV, art. II, ad I. Unde non semper requiritur, quod res repræsentans, et vices gerens alterius procedat effective ab eo quod repræsentat, seu sufficit quod objective tendat in ipsum ut repræsentabile.

XIX. Secundo, objicies ex eodem auctores: Nam aliquæ entitates sunt quæ sine specie possunt objective determinare potentiam, sicut Angelus, vel anima separata respectu propriæ cognitionis in suo intellectu, et ut aliqui putant objecta gustus, et tactus per se ipsa immediate sine specie cognoscuntur: ergo non requiritur species ad determinandam potentiam erga objectum, sed id potest fieri per aliquam aliam entitatem etiam non inhærentem, neque actualem potentiam, sed extrinsecus se habentem erga illam, et consequenter Deus poterit se solo supplere hanc determinationem, quam species facit in potentia, vel per se ipsum, vel per aliquem habitum, aut virtutem determinantem potentiam erga objectum, sicut lumen gloriæ determinat intellectum erga divinam essentiam.

XX. Respondetur entitates illas, quæ sine specie superaddita possunt determinare potentiam concurrente cum illa per modum, quo objectum concurrat, ideo esse, quia habent in se modum intelligibilitatis, vel cognoscibilitatis spiritualis, per modum objecti sufficientis ad determinandam potentiam, et concurrente cum illa, etiam sine specie superaddita, et sic non mirum, quod per se ipsa faciant, quod mediante specie faciunt alia objecta. Et qui-

dem de Angelis, et anima separata infra circa quæstionem LVI ostendemus, quomodo eorum substantia actuet intellectum ad cognitionem sui, quia scilicet per se ipsam illa substantia est actu intelligibilis, quia actu spiritualis, et immaterialis, et sic cum sit radix proprii intellectus, sibi que inhæreat reddit illum determinatum modo immateriali, et intentionali respectu sui, nisi convertatur, et uniatur ad sensibilia, sicut anima conjuncta, et non remaneat in statu spirituali, sicut separata, vel Angelus, qui ratione suæ spiritualis habet facere id quod species in aliis objectis, quod ibi latius explicabitur. De objectis gustus, et tactus non acquiesco, quod sine specie sui cognoscantur ab istis sensibus, sunt enim nimis materialia objecta, ut per se ipsa possint cognoscitive afficere illos sensus, qui licet etiam valde materiales sint, vere tamen cognoscunt, et cognoscitiva unione objecti indigent. De quo latius egimus in libr. de anima. Deus autem non potest per se ipsum supplere concursum istum objecti, quia pertinet ad concursum specificum, et formalem, qui a Deo immediate fieri non potest, cum tantum efficienter concurrat. Species autem non solum effective concurrunt cum potentia, sed etiam formaliter repræsentative, id est, vice ipsius objecti, quod repræsentant eodem modo concurrente, quo objectum, scilicet specificative, et formaliter. Et hunc concursum ex parte objecti modo objetivo dicimus, quod Deus non potest se solo sine objecto supplere, ut quod videam album sine albo. Quod vero iste concursus suppleatur per illas entitates, quæ sunt species, vel per alias, qui dicantur habitus, vel aliquid simile non interest, dummodo semper salvetur ad hoc, ut ponatur cognitio, concursus iste objecti specificus, et formalis, et quod entitas

quæ loco objecti supplet, illum præstare debeat, etsi non præstet, non potest suppleri a Deo se solo, quia pertinet ad causam formalem specificantem. Unde lumen gloriæ, quod est determinatio ex parte virtutis, et potentiæ non potest vicem speciei gerere, ut etiam disputatione sequenti dicitur.

XXI. Contra secundam conclusionem arguitur ex Vazquez ad probandum D. Thomam non negasse speciem impressam, sed solum medium objectivum, seu prius cognitum, disp. xxxix, c. I, in quo dicit se sentire cum m. Victoria. Et eadem ratione inquit D. Thomam negasse speciem expressam, in qua beatus contempletur divinam essentiam, non tamen speciem impressam, quæ est principium cognitionis. Et probat, quia D. Thomas in præsentis articulo primo in argumento sed contra, probat Deum non videre per similitudinem, quia non videtur per speculum, et ænigma, constat autem quod speculum, et ænigma est medium prius cognitum, ergo illud tantum negat D. Thomas et non similitudinem, quæ est species. Item in eodem articulo admittit D. Thomas similitudinem, quæ tenet se ex parte potentiæ, negat autem similitudinem ex parte rei visæ. Per similitudinem autem ex parte potentiæ intelligit speciem impressam, cujus officium est actuare potentiam fecundando illam, et constituendo in ratione principii. Per similitudinem autem ex parte rei visæ intelligit D. Thomas verbum, seu speciem expressam, quia verbum apud D. Thomam est ipsum objectum intellectum in actu, ita quod primum intellectum a nobis est verbum; ut patet in I contra gent. c. LIII, et lib. IV, c. XI, et q. IX de potent. art. II, ergo verbum est similitudo ex parte rei visæ seu intellectæ, ergo istam so-

lam negat D. Thomas, non primam.

XXII. Confirmatur, quia in aliis locis, in quibus D. Thomas se refert ad istum articulum, solum loquitur de similitudine objectiva, et prius cognita, ergo illam solum negat D. Thomas in præsentis. Antecedens patet, nam in articulo quarto hujus quæstionis, ideo negat Angelum non cognoscere Deum clare per suam substantiam, in qua tamquam in speculo refulget divina similitudo, quia non potest intelligere Deum per similitudinem creatam, sicut inquit ostensum est articulo primo, sed substantia Angeli solum se habet, ut medium objectivum respectu cognitionis Dei, ergo de tali similitudine creata, quæ est medium prius cognitum loquitur D. Thomas in præsentis articulo. Similiter in articulo XI hujus quæstionis ostendit Deum non posse cognosci in hac vita, sicut est in se per effectus naturales, quia sunt similitudines objectorum tamquam medium, per quod tenditur ad objectum. Non potest autem Deus per similitudinem aliquam creatam videri sicut, inquit, ostensum est supra, id est, articulo tertio, ergo in isto articulo solum loquitur D. Thomas de similitudine, quæ se habet tamquam medium prius cognitum. Denique rationes D. Thomæ non amplius probant in hoc articulo, de quo dicemus infra.

XXIII. Confirmatur secundo ex quodlibet. VII, art. I, ubi inquit: « Quod lumen gloriæ ab essentia divina descendens facit hoc respectu divinæ essentiæ in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt lux tantum species rei intellectæ simul et lumen. » Ergo sentit D. Thomas lumen gloriæ habere officium speciei, et non solum virtutis. Et ibidem ad secundum objiciens quod Deus non potest videri immediate, sed per aliquam similitudinem, quia essentia

divina non potest per se ipsam informare intellectum, respondet: « Quod intellectus creatus sit actu ad videndum divinam essentiam per lumen gloriæ, et hoc sufficit. »

XXIV. Respondetur D. Thomam ita negare in hoc articulo omnem similitudinem ex parte objecti, quod non solum negat similitudinem repræsentativam per modum speciei, sed etiam per modum objecti cogniti. Unde nihil valet illa consequentia: Negat D. Thomas in hoc articulo similitudinem ex parte medii cogniti, ergo non negat similitudinem per modum speciei, utrumque enim negat. Et sic in argumento sed contra, attulit auctoritatem Augustini negantis visionem illam fieri per speculum, et ænigma, et sic negavit medium cognitum, et objectivum, in corpore autem articuli expresse negavit medium per modum speciei, distinguens similitudinem ex parte rei visæ, qualis est similitudo lapidis in oculo, quæ utique species impressa est et illam negavit in visione beata. Adde quod cum in sententia D. Thomæ ut infra ex ejus rationibus ostendemus, si datur species creata, illa debet immediate repræsentare creaturam, et non Deum, creatura autem sic repræsentata se habet ut speculum, vel ænigma respectu Dei, idem est apud D. Thomam negare omnem similitudinem, quæ per modum speculi, vel ænigmatis repræsentet Deum, atque negare omnem similitudinem per modum speciei creatæ.

XXV. Ad id vero, quod dicitur de distinctione, quam ponit D. Thomas inter similitudinem ex parte potentiae, et ex parte rei visæ, respondetur D. Thomam se explicare in hoc articulo secundo, in fine corporis, quod similitudo ex parte potentiae est lumen gloriæ, quod dicitur similitudo, quia dat potentiae virtu-

tem proportionatam ad attingendum Deum, ut explicat in contra gent. c. LIV. Hoc autem lumen expresse D. Thomas distinguit a specie repræsentativa in IV sent. et quodlib. VII, citatis, quia lumen gloriæ dicit pertinere ad medium sub quo, speciem vero ad medium quo, et hoc secundum negat in visione beata, primum vero admittit. Per similitudinem autem ex parte rei visæ non solum intelligit D. Thomas speciem expressam, sed etiam impressam, ut patet manifeste in initio corporis articuli, ubi explicat similitudinem ex parte rei visæ per hoc, quod est sicut similitudo lapidis in oculo. Constat autem quod in oculo non datur species expressa, sed solum impressa in sententia D. Thomæ, et cum dicat D. Thomas hanc similitudinem ex parte rei visæ requiri ad uniendum objectum potentiae, et tamquam unum ex principiis concurrentibus ad visionem, diminutus esset, si solum intelligeret speciem expressam, et omitteret impressam, quæ ad id concurrat ut principium. Negavit ergo D. Thomas omnem similitudinem tam ex parte speciei impressæ, quam expressæ.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur in illis locis negare similitudinem, quæ est per modum objecti cogniti, et referre se ad istum articulum, quia vere in illo hanc similitudinem negavit, non tamen hanc solam, sed etiam omnem aliam similitudinem, in qua etiam includitur similitudo per modum speciei.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur in illo quodlibeto expresse D. Thomam negare in visione beatifica similitudinem, quæ se habet ut medium quo, quod utique est species. Dum vero dicit, quod hoc facit lumen gloriæ respectu divinæ essentiae in intellectu, quod facit respectu aliorum intelli-

ARTICULUS II.

An sit specialis repugnantia ad negandum de facto speciem in visione Dei?

I. Inter auctores, qui hanc quæstionem tractant de specie, qua videtur Deus pauci sunt, qui de facto ponant speciem creatam, qua Deus videatur, licet p. Vazquez hic disput. XLVII, cap. VII, num. XXXII et XXXIV affirmet, quod posita possibilitate hujus speciei potius dicendum est eam de facto dari, quam divinam esse etiam supplere vicem illius. Et numero XXXVII concludit nihil absurdi esse, si dicamus beatos per speciem creatam videre Deum. Ac denique lumen gloriæ, quod de facto datur habere rationem speciei impressæ, et non solum luminis, affirmat p. Alarcon tract. I. de visione Dei, disput. III, eo quod non requirit ad rationem speciei vim repræsentativam, sed determinativam ex parte potentiae erga objectum, et ita non procedunt in sensu hujus disputationis, sed supponendo speciem, non ex parte objecti se tenere, ut ejus vicariam, sed ex parte potentiae, et determinationem virtutis. Expresse autem distinguitur a D. Thoma lumen gloriæ quod datur per modum virtutis a similitudine Dei, quam dari negat in visione Dei, in hac quæstione, articulo VI. Loquendo autem de specie impressa, quæ repræsentativa, et vicaria est objecti, illam de facto dari, nec divinam essentiam posse exercere munus speciei impressæ in intellectu beati, docet Ægidius a præsentatione, tom. II de beatitudine, lib. VIII, qu. III, art. III, et latius qu. IV, art. I et IV. Et conatur aliquos auctores ex antiquis adducere, qui vel probabilem eam sententiam reputant,

gibilium species rei intellectæ simul, et lumen, non attribuit luminis gloriæ officium speciei repræsentative objecti, sed officium actuandi intellectum per modum principii inhærentis ipsi, hoc enim solum facit lumen in visione beata respectu divinæ essentiae intelligendæ, cum tamen respectu aliorum objectorum, quæ non sunt lux, id est, per se ipsa non sunt immediate cognoscibilia, necesse sit, quod duplex principium inhæreat in intellectu, ipsumque inhærendo afficiat, scilicet species ab objecto proveniens, et virtus, seu lumen intellectum perficiens. In visione autem beata tantum est unum principium inhærens intellectui, et actuans illum inhærens in ordine ad intelligendum divinam essentiam, scilicet lumen gloriæ non dat virtutem actuando, et inhærendo, objectum autem, quia est ipsa lux non indiget specie inhærente, et creata loco sui. Et hic est genuinus sensus D. Thomæ. Et eodem modo in solutione ad secundum dicit D. Thomam sufficere similitudinem, quæ est lumen gloriæ ad videndum Deum loquendo de similitudine creata, per quam fiat in actu intellectus informatione inhærente, hujus enim generis (scilicet creatæ similitudinis) solum lumen datur, quod ex parte virtutis se tenet. Quod fecit D. Thomas ad exprimendum se negare omnem aliam similitudinem creatam, ex parte objecti non tamen negat præter lumen gloriæ etiam concurrere essentiam divinam per modum speciei sine inhærentia in intellectu, ut aliis locis explicat, non solum in præsentati, sed etiam in III contra gent. cap. LI, ubi optime id declarat.